

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CXXIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

tate cupimus. Sed existimamus, & nostræ facultati Theologicæ, & filiis tuis, in ista ætate, magis honorificum futurum, si gradu Licentiatorum à nobis ornati, ad vos revertentur. Sunt Licentiati, omnium facultatum, ut vocant, in pari fere honore & dignitate cum Doctoribus. Ac poterunt filii tui, post paucos annos, ubi cum ætate auctoritas ipsis accrevit, vel apud nos, vel in vestra aut vobis vicina aliqua Academia, per dispensationem nostram, Doctorum insignia accipere. Sumus nos miseri, quos Theologos nuncupant, expositi omnium odiis, malevolentia, criminationibus, calumniis, furoribus, & injuriis. Minus rabiose igitur malevoli filiis tuis maledicent, & se ipsis opponent, si eos satis augusto Licentiatorum honore, potius ornatos quam durissimo Doctorum onere, in ista ætate gravatos oppressosque videbunt. Requiritur in Doctore Theologia, non tantum eruditio, eloquentia, pietas, modestia, vitæ innocentia & gravitas, quæ virtutes omnes in filiis tuis, sunt eximia & illustres, sed etiam auctoritas incurrens in oculos, magnus & excelsus animus, constanter contemnens calumnias, & patientia fortiter perferens atrocissimas injurias. Amanter & reverenter peto, ut hominis Saxonici, candide & aperte monentis libertatem, candide accipias, & de tua voluntate nos quamprimum certos reddas. Expectabunt certe filii tui a me, constantis & fidelis amici officia. Bene & feliciter vale. Rostochii, IX, Calendas Februarias, Anno a nato JESU CHRISTO, M. D. LXXIII.

Simon Pauli, Suerinensis.

CXXIV.

Salutem in Christo Jesu. Reverende Domine Superintendens, frater in Domino colende.

NON dubito, quin nostram vicem doleas, quod Manichæorum scriptis tam maledicis tam sædè conspuamur. Vides enim, quomodo ille, qui non tam à nobis quàm à veritate divina, judicio DEI horrendo discessit, non agat fundamentis scripturæ sanctæ nobiscum, sed meris & quidem horribilibus conviciis, & præstigiis. Utinam autem & aliæ Ecclesiæ opponerent suas confessiones, tantis blasphemis Manichæorum. Nihil dubito, quin etiam in vestris Ecclesiis nihil non tentet ac turbet iste spiritus. Equidem apud nos non desinit per literas ac mirabiles practicas cælum terræ miscere. In mea patria autem tantopere fascinavit Spangebergium, ut ibi Ecclesiæ mirum in modum distraherentur. Huc accedit vehemens ille Irenæus, sine omni ratione extrema moliens. Recte igitur faceres, optime Marbachi, si & tu Ecclesiam DEI, saltem brevi aliquo scripto commonefaceres, id DEO honorificum & Ecclesiæ ipsius salutare futurum esset. Hæc tenuia scripta, quæ mitto,

L II

quæ-

quæso boni consule, & testimonium qualecunque amici animi esse sinas. Bene in Christo vale. Jenæ, 17. Febr. 1573.

T. Joh. Wigandus.



CXXV.

S. P.

DE rebus vestris nos D. Jacobus Andrea, hac transiens, edocuit, & sollicitudinem nostram partim confirmavit, partim etiam spem auxit, ut confidamus controversiam quamlibet odiosam, sine terminatum iri saltem tolerabili, si non qua vellemus. Plurimum huc faciet presbyterii sacer consensus; quo salvo etiam collapsi tempore suo restaurari poterunt. Pro hoc ipso non desino quotidie infirmis precibus meis Dominum interpellare. Est enim nobis, ut par est, Ecclesie vestrae incolumitas cordi ex animo. Si quid accidit interea, rogo perscribas. De filiis inermis, si quid accepisti, & Rostochiensis scholæ Ecclesieque statu. Novi apud nos nihil est. Helvetica expeditio hæcenus non procedit, forte quod rex Galliarum, suis confusus viribus, exoticas minus urget. Interea Turcas classe maxima restaurata, bellum instaurare infestissimum dicitur. Venetos transactionem spectare, ut Hispanus petatur, ut appareat, hunc hostem à Domino excitatum armatumque, ut sit flagellum furoris ipsius ad puniendum peccata, quæ nullis castigationibus sanari possunt. Cæterum qui has perfert, à Marchionissa, Ernesti defuncti vidua, ad rem missus est, ut pro ipso apud T. D. intercedam: quo si fieri queat, tua autoritate vel in Wilhelmitarum collegio locum habeat, aut apud sanctum Marcum elemosinafratur. Idque ad eum enixè à me postulavit, ut non potuerim negare officium, utcumque id molestum mihi fuerit. Cum non ignorem, quam frequentibus interpellationibus quotidie non tantum obruare; precor ergo, ne ægrè feras, quod facio alieno impulsu, pauper est prorsus juvenis, nec caret ingenio, facies ergo, quid poteris. Bene vale in Christo Jesu, D. & frater in Christo semper reverende, una cum uxore, liberis, Pappo, totaque familia, & symmisticis fratribus. Quos meo, Cocci & Fieghni nomine reverenter amanterque salvos jube. Scripsi Basileæ, 20. Februarii, Anno 73.

R. A. L.

10148

S. Sulcerus.

CXXVL